

Disquisitionum medicarum de febribus secunda / [Johann van der Lahr].

Contributors

Lahr, Johann van der.
Le Boë, Frans de, 1614-1672.
Rijksuniversiteit te Leiden.

Publication/Creation

Leyden : Widow & heirs of J. Elzevir, 1663.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/prsg472p>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISQUISITIONUM MEDICARUM
DE
F E B R I B U S

S E C V N D A.

QVAM,

Divino favente Numine,

Sub PRÆSIDIO

Clariſſimi, Doctiſſimique Viri,

D. FRANCISCI DELEBOE, SYLVII,
Medicinæ Practicæ in Inclytâ Lugduno-Batavâ
Academiâ Professoris,

Exercitii gratiâ defendet

JOHANNES vonder LAHR, Mœno-Francofurt.

Addiēm 16. Martii, loco horisque solitis.



LUGDUNI BATAVORUM,

Apud Viduam & Hæredes JOHANNIS ELSEVIRII,
Academ. Typograph.

CLC LXIII.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30763265>

DISQUISITIONUM MEDICARVM

D E

F E B R I B U S

S E C V N D A.

T H E S S I S I.



uisquis Artem Medicam, sed solidam, constitutere cogitat, is ex Quibus, Qualibusque constet homo ante omnia cognoscere satagat, quò Functionum ejus omnium tam integrarum, quam labefactatarum naturam & Causas veras ingeniosè erutas judiciose queat explicare, ac consequenter Valetudinem, quoad fieri potest, optimam ipsi præstandi Methodum, eamque exactam elicere, atque uti ore, sic & opere ipso demonstrare.

I I.

Cognitionem illam longè, latèque diffusam adipiscetur facilis, & fortè tantùm, qui tergeminò *Experimentorum Anatomicorum, Practicorum & Chymicorum* cumulo abundè instructus accedet ad opus tam laudabile, quippe etiam nunc necessarium.

I II.

Afferunt quidem, nec diffitemur, multi, evicit verò hactenus nemo, perfectam reliquissè nobis Veteres Medicinam, quod ubi à quovis præstitum compriemus, mox sine tergiversatione pedibus ibimus in ipsorum sententiam.

I V.

Interim, quoniam Artis Medicæ, qualemcunque habemus à diversis constructum & adornatum diversimodè, ædificium arbitramur cum nonnullis egregiis & cordatis medicis esse in multis imperfectum, & in non paucis ruinosum, optamus plures arte præstantes, peritosque Viros manum medicam Medicinæ serio admovere, atque præjudiciis omnibus semper noxiis valedicentes

coiatis operis uni veritati ac publico mortalium bono ardenter
studere, quò tandem aliquando ad optatum, sperabile saltem ma-
nifestæ perfectionis fastigium perducatur Artium nobilissima,
generique humano tam utilis, quām necessaria Medicina.

V.

Corporis certè humani Continentis partes multifarias, singu-
larumque affabré concinnatam structuram & cum aliis commu-
nionem atque communicationem; quin & Contenta multiplicia,
eorundemque Qualitates varias patefaciunt *Experimenta Anatomi-
ca*, per autopsian imprimis frequentem, cogitatamque compa-
randa.

VI.

Affectiones verò ex Naturalium rerum quarumvis usu vel abu-
su homini tam sano, quām ægro accidere solitæ observantur tan-
tùm accuratè in praxi inedicâ, Medicisque ad omnia, quæ ipsis
praxin exercentibus occurruunt, attentis innotescunt luculenter
per *Experimenta vetè Præctica*.

VII.

Cunctarum denique Naturalium rerum ad Alterationem fa-
cientes vires, & agendi, patiendique modi, atque adeò sensiles
Mutationum naturalium omnium & singularum Causæ clarissimè
manifestantur per *Chymica Experimenta*, utpote circa merè natura-
les, artificio licet institutas, rerum naturalium mutationes occu-
pata.

VIII.

Hauriemus proinde ex laudato triplici hoc *Experimentorum*
Medicorum fonte vivo, quidquid ad multùm intricatam Febrium
naturam extricandam proferemus in medium.

IX.

In primâ quidem nostrâ de Febribus Disquisitione docuimus
1° Pathognomonicum Febris omnis signum esse Pulsum præter
naturam frequentiorem. 2° Pulsum complecti tum Cordis Ven-
triculorum, tum Arteriarum Dilatationem ac Coarctationem.
3° Cordis Ventriculorum Expansionem deberi Sanguini tum ob
sui copiam, tum maximè ob sui rarefactionem parietes ipsorum
explicant. 4° Eorundem Coarctationem acceptam ferendam
Spiritibus Animalibus musculosum Cordis parenchyma contra-
hentibus. 5° Arteriarum Dilatationem esse à Sanguine per Cor-
dis

dis contractionem in ipsas propulso. 6° Earundem Constrictio-
nem fieri à Spiritibus Animalibus fibras ipsarum annulares im-
plentibus, sive cavitatem ipsarum coarctantibus.

X.

Quoniam verò Sanguinis in dextro Cordis Ventriculo contin-
gentem Rarefactionem ibi & in Disput. VII. de Respirat. thes. 54.
& seqq. paucis tantùm attigimus verbis, operæ pretium nos fa-
cturos arbitramur, si clariùs & distinctiùs cogitationes nostras de
illâ ulteriores hîc explicemus & pro virili parte adstruamus; post-
quam pleraque ad Februm essentiam explanandam requisita ex-
ritè soluto hoc arduo, duro, dubioque nodo ferè sponte fluxura
confidimus.

X I.

Ab Igne igitur, & à solo quidem Igne, quando manifesta est
Sensui Effectus sensilis Causa, *rarefieri liquores*, *viscidos præsertim*,
testatur passim Experientia. Ignem verò in Corde nostro, quām
in ullâ corporis parte aliâ, magis vigere ac dominari arguit exu-
berantior ibidem Calor Sensui patens. Igni proinde meritò tribui
notabilem Sanguini in Corde accidentem rarefactionem etiam nunc con-
cludimus.

X II.

Quamvis autem concessuri sint forsitan plerique adscribendam
Igni Rarefactionem Sanguini in Cordis ventriculis contingen-
tem, non conveniet tamen facile inter Viros etiam primarios,
(quippe diversis circa rerum naturalium principia & affectiones
fundamentis & dogmatibus imbutos) de verâ nativi Calidi, hoc
est, *Ignis nostri Vitalis* & quasi Vestalis, utpote à primo generationis
exordio ad mortem usque in Corde accensi, permanentis, conser-
vative, origine ac sustentatione.

X III.

Utique, ubi veritas in re dubiâ investigatur unicè, non suf-
ficit probationis loco aliquem magni nominis & existimationis
antiquum aut recentiorem allegare Scriptorem, ipsiusque dunta-
xat in medium proferre placitum; quod apud Viros graves ac se-
riò philosophantes ridiculum est, ne dicam puerile: verùm pro-
ducenda sunt simul argumenta effatum illud sufficienter demon-
strantia, sive illa ab ipsis Authoribus, sive ab ipsorum Sectatori-
bus excogitata sint ac inventa.

XIV.

Novi equidem & multa, & grandia dici vulgo de *Calido innato*, & ejus pabulo, *Humido primigenio*, quæ optarem quoque ab aliquo clarè ac distinctè per Experientiam indubitatem vel Rationes solidas demonstrari atque probari; hocque ut tentent, ac præstent, rogo & obtestor cunctos de injuriâ Veteribus aut Recentioribus quoque factâ & illatâ, quoties in dubium revocantur illorum decreta, cum iracundiâ & stomachatione toties conquerentes.

XV.

Ego interim (qui facile patior unumquemque suo abundare sensu, dummodò sine calumniâ liceat mihi animi mei sensa in commune bonum ad Veritatis stateram libranda & probanda exponere) quid secundum memorata tria Experimentorum genera de Vitalis in Corde Ignis exortu post longum, molestum & anxium examen mihi tandem visum sit maximè probabile, veritatis eruendæ causâ candidè proponam & aperiam; quin & rigido, accuratoque omnium, peritorum præsertim & candidorum examini ac censuræ lubens subjiciam.

XVI.

Considerans ergo nec 1° *lucentem*, sivevis patentem observari in Corde vivis exfecto *Ignem*, hoc est, *Flammam*; contradicitionem est in adjuncto dicere Flammam non lucentem; nam per solam lucem distinguitur à Fumo Flamma; qui dum accenditur, idcoque lucere incipit, flammat dicitur concipere; imò in flammat abire: nec 2° aliquid *Ellychnio* analogum ibidem occurre, cui affixus datur, vel singatur accensus in Corde Ignis: nec 3° quid *Oleosum* & pingue à Sanguine diversum ibidem patere aut contineri, in quo, tanquam in pabulo subsistere, aut ab ipso sustentari asseratur conservatus mirabiliter in eodem Corde Ignis: verùm 4° *Sanguinem* duntaxat oculis subjici, & quidem nunc indextrum Cordis ventriculum impulsu, nunc paulò post maximâ sui parte iterum inde in Pulmonalem arteriam expulsum; quamvis ibidem citra manifestam sensui causam priùs confessim & potenter incalescentem: Judicavi auctum inibi affluentis *Sanguinis Calorem vulgaris nostri* in Lampadis *Oleo*, Candelæ *Sebo* vel *Cerâ*, *Ligno*, *Carbonibus* & *similibus* accensi *Ignis more minimè foveri* vel excitari; verùm deberi aut restitantibus intra dextri *Cordis Ventriculi cavernulas Sanguinis reliquiis*, aut ipsi *Sanguini* utrinque ex *Venis* accedenti, aut utrisque.

XVII. Solis

XVII.

Solis remanentis in Cordis Ventriculo dextro Sanguinis reliquis
hoc incendium adscribi non posse arbitror, quia communicatæ &
commixtæ appellenti Sanguini tepidiori efficient quidem ipsum
quàm priùs erat, calidiorem, neutiquam verò se æquè calidum;
uti hoc infinitis unicuique obviis, & quidem simillimis potest
constare experimentis. Nam liquori ferventi si affundatur similis
tepens, aut frigidus, calidior quidem fiet posterior, ut aliquid de
suo fervore amittet prior, adeò ut mixtura ex utroque sit futura
temperamenti medii; nunquam verò ad fervidioris æstum obser-
vabitur accedere frigidior: Sanguinis verò in Cordis ventriculum
dextrum affluentis atque ibidem mox magis incalescentis Calor
æquat restitantis calorem, aliunde proinde, quàm ex hujus admi-
stione solâ oriundus.

XVIII.

Examinatis rursus accuratâ, sæpiusque iteratâ indagine Cordis
cum Cavâ venâ connexione, omnibusque in Sanguine ad dex-
trum Cordis Ventriculum infernè ac supernè appellente conten-
tis, visus mihi sum tandem aliqua huic negotio & difficultati eluci-
dandis valdè convenientia observasse.

XIX.

Illud enim 1º valdè notabile arbitror, Cavam venam ita dextris
Cordis Auriculæ ac Ventriculo adnatam, ut, & ipsius Venæ ibi
loci carnosæ existentis, & Auriculæ prædictæ contractione simul
concurrente, non tantum admissus in Auriculam Sanguis in dex-
trum Cordis ventriculum propellatur, sed insuper *Ascendens San-
guis* eo contractionis tempore *sejungatur ac separetur in totum à De-
scendente*: quod in Brutorum vivorum sectione oculis aliquando
patet.

XX.

Sed & sanguinem utrumque diligenter considerans, præter alia
quædam, de quibus inferiùs, notavi 2º magnam esse inter utrum-
que admistorum ratione diversitatem. *Ascendi* namque jun-
gitur per Ductum Hepaticum unâ cum Venæ Portæ propa-
ginibus omnibus æque divaricatum delata & in Hepate ipsi com-
municata *Bilis*; quemadmodum id pluribus argumentis nos
evicisse putamus in Disput. nostrâ VI. de Bilis ac Hepatis Usu ante
biennium & quod excurrit hîc habitâ, imprimis si Additamento
iteratæ

iteratæ ejus editioni nuper juncto adjecta experimenta nova simul considerentur.

XXI.

A propositâ nostrâ sententiâ non dimovet nos ingeniosa Vasorum Biliorum investigatio & observatio semel atque iterum in vivo Bruto à quibusdam facta, ligando Ductum Cysticum, effluente nihilominus ex cæteris Ductibus Hepaticis sectis aliquâ Bile; cum idem experimentum aliquoties ipsi facientes observaverimus in Canibus pro loborum numero plures Ductus Bilarios Hepaticos habentibus nullum tumorem in ipsis ubicunque ligatis produci, nisi forsitan subinde in Cystico inter folliculum & ligaturam: adeò ut illo experimento confirmetur potius, quam infirmetur nostra sententia. Admissa enim, nec tamen vi ad Hepar propulsâ Bilis refluit denuò, ac effluit per factam in Ductibus variis aperituram.

XXII.

Descendenti verò Sanguini admiscetur 1° omnis undecunque prope rans ad Cor Lympha: 2° absolutâ Alimentorum in Ventriculo Fermentatione, partisque ipsorum utilis à fæcibus alvinis in tenui intestino Secretione, Chylus; quemadmodum hæc nos sufficienter probasse putamus in Disput. nostrâ VIII. de Lymphâ, Vasisque Lymphaticis, ante biennium itidem hîc habitâ: 3° tempore ab Alimentorum assumptione vacuo, ex Bile, succoque Pancreatico unâ cum Salivâ perpetuò secundum naturam deglutitâ & ad tenue intestinum delatâ confluentibus ac simul effervescentibus secretus, paratusque Liquor.

XXIII.

Non est autem, cur nos vel minimum moretur singulare D. Ludovici de Bils Anatomicis omnibus, notis & ignotis, dummodo diversum à se sentientibus, nec mox sibi Thrasonicè glorianti assurgentibus insolenter (ut etiam nunc benignius ipsum tractemus) insurgentis de Lymphæ naturâ, ejusque, ut & Chyli motu naturali commentum, nullo, ne unico quidem, ab experientiâ evidenti, solidâve ratione petito & in medium producto arguento adstructum, vel confirmatum.

XXIV.

Quapropter illo sibi relieto, ac neglecto, pergamus ad cætera Igni nostro Vitali ex præmissis fundamentis, experimentisque

An-

Anatomicis pleniūs, planiūsque expediendo, explicandoque ser-vitura.

XXV.

Ab ipso ergo Sanguine, ut pressius agamus & nihil prætereamus, quatenus à singularum partium Nutritione refluit, Incendium ejus Vitale, hinc & Rarefactionem nemo deducet facile, qui consideraverit ipsum hactenus effectum & Igne suo Vitali quodammodo destitutum, quò denuò accendatur, sicque vegetior reddatur, ad Cor redire.

XXVI.

Sed néc, dum Sanguini Descendentī pars Seri in Renibus, vel Ascendentī Spirituosa volatilis in Cerebro ac Cerebello demitur, talis utrique accidit Mutatio, unde vitale illud incendum queat expectari.

XXVII.

Si Sanguini accedat (quod nos suspicari & tantum non opinari docuimus suo loco) & penitus immisceatur in Liene Spiritus animalis, aptior redditur sic forsan ille Sanguis suscipiendo præfato incendio; quamvis ab illâ mutatione solâ frustrâ quis arbitretur pendere posse tam notabilem in Corde accidentem Sanguini Caloris & Rarefactionis mutationem.

XXVIII.

Idem judicium esto de qualicunque mutatione Sanguini à Rena-libus Glandulis obveniente.

XXIX.

Majoris autem momenti & ponderis erunt, quæ à memoratis Lymphâ, Chyloque Descendentī, atque Bile Ascendentī Sanguini copiosè junctis, ac in Cordis dextro Ventriculo demum simul confusis possunt deduci.

XXX.

Bilem profectò si quis per Artem Chymicam tum distillando, tum blandè calcinando, tum ante aut postea cum variis miscendo ritè examinaverit, comperiet ipsam, quod non semel docuimus, Lixivo Sale, eodemque volatili & oleoso abundare: unde ad Spiritus acidi cuiusvis affusionem mox plus minus effervescit, & pro Spiritus acidi varietate mutationes quoque subit varias.

XXXI.

Lympham quoniam nullâ cavitate contentam, sed continuò per vasa sua satis exilia ad Cor fluentem, nullâ notabili quantitate

hactenus potuimus excipere puram, ipsius idcirco saporem (quem
subacidum tamen aliqui se gustasse asserunt) cæterasque qualitates
ita distinctè & clarè non valuimus expiscari, quemadmodum Bi-
lis, verùm per conjecturas duntaxat & ratiocinationes magis so-
licitas, implicitas & impeditas: de quibus vide quoque Disp. no-
stræ VIII. Thes. 42. & seqq.

XXXII.

In aliqualem tamen ejus notitiam nos deduxerunt 1° *Succi Pan-*
creatici, ut & *Saliva* præter naturam se habentium consideratio &
examen. 2° *Gravido* aliique *Affectus Catarrhis* vulgo adscribi soliti,
quosque nos *Lymphæ* in substantiâ suâ, sive qualitatibus ac motu vi-
tiatæ putamus tribuendos. 3° *Glandularum*, *Conglobatarum* quoque,
Affectus aliqui, & imprimis *Cancer*, in quibus manifesta occurunt
Aciditatis, sed volatilis, signa ex dolorum vehementiâ & modo,
atque ipsâ curâ per medicamenta volatili sale constantia conse-
quentie patentia.

XXXIII.

Expendentes námque modò memoratam *Bilem* à multis Infan-
tibus nuper natis *Æruginosam* & acidum spirantem excerni, inqui-
sivimus sedulò in *Acoris* istius ortum verum & fontem; quem
frustrà quis in *Vesicâ Bilariâ*, ipsaque adeò *Bile* quærat, cùm ib-
contenta *Bilis* nunquam talis existat, sed in tenui demum intestin-
talis evadat.

XXXIV.

Aliunde proinde arcessendus ille *Acor*, & quidem vel à *Succo*
Pancreatico vitioso, per suum Ductum cum *Bilario* in tenue Intestinum
hiantem eò delato; vel à *Salivâ*, aliisve humoribus à Capite de-
labentibus, ipsisve *Alimentis*, aut *Medicamentis*, Venenisve per Oesophagum
in Ventriculum deglutitis, atque inde ad tenue Intestinum
propulsis: cùm præter has vias nullæ hactenus aliæ sint observatae
ad tenuis Intestini cavitatem aliquid deferentes.

XXXV.

Ab *assumptis Alimentis*, *Medicamentis* aut *Venenis* nemo sanè mer-
itis deducet in teneris Infantibus lacte materno, nutricis vel bri-
torum dulci, jusculis fâtem, aliisve pulticulis minimè acidis ve-
centibus molestum illum *Acorem*.

XXXVI.

A *Salivâ* quoque, aliisve *Humoribus* acidis à capite delabentib-

non deducendam eandem Acritudinem constat ex ipsorum Ore circa hujus mali exortum nullâ, ne vel minimâ (postea licet subinde aliquâ) acrimoniâ, nedum acidâ affecto; quod tamen foret in tali casu omnino necessarium, cum summa sit prædictæ Aciditatis acrimonia, ut ex Ventris terminibus, quibus tam enormiter torquentur miselli Infantes, ut & subsequentibus plerumque Aphthis patet, quando scilicet per Ventriculum & Oesophagum ad Os assurgunt paulò post halitus acerrimi, & totam dictarum partium superficiem usque ad extrema labia unâ cum lingua putulis & ulceribus parvis infestantes.

XXVII.

Restat igitur, ut à *Succo Pancreatico acidiore & acriore* per Ductum proprium ad tenue intestinum effuso deducamus illud malum; quod insuper confirmat Dolor (ubi communis est Ductuum Bilarii & Pancreatici coitus & exitus) in dextrâ Lumborum regione, hinc & in anteriore sinistri hypochondrii parte valde molestus, & quidem secundum Intestini tenuis Lumbis primùm sub Mesenterio annexi, mox ad sinistras antrorsum erumpentis gyrationem.

XXVIII.

Neque enim Infantes tantum, quin Adultos etiam non raro affligit Æruginosa & amaro-acida Bilis; cuius afflictionis principium cum observetur, plerunque circa delineatam dextram Lumborum regionem, merito diximus eâ confirmari adscriptam modò *Succo Pancreatico* ibidem in tenue Intestinum effluenti, atque Bili se jungenti Aciditatem illam vitiosam; quæ vel idcirco Pancreatico *Succo* magis venit adscribenda, quod non raro absque ullâ Bile, aut Amaritudine comite Humor acidus prius circa Lumbos molestus deprehendatur in Ventriculum, hinc & Oscum vel sine Vomitu assurgere, nunc Aquæ, nunc Pituitæ formâ.

XXIX.

Quod si excedens, atque ideò vitiosa hæc debeatur succo Pancreatico Aciditas in æruginosâ Bile observata, utique Acidus vel potius *Subacidus* censendus erit ex sui naturâ idem *Succus Pancreaticus*, sed temperatus.

XL.

Si proinde aciditate temperatâ prædictus est *Succus Pancreaticus*, necesse est, ut & in Conglomeratis Pancreatis Glandulis separetur à Sanguine Liquor acidus, & ibidem Spiritus Animalis

potissimum ope temperetur ac demulceatur. Nihil enim æquè acidum Spiritum temperat, atque Spiritus volatilis; unde dulcescit penè cum Spiritu Vini cohabatus acidus Salis Spiritus.

XLI.

In Conglomeratis Glandulis si seccernatur, tempereturque Liquor Sanguinis subacidus, non video, quid obstet, quominus simile quid suspicemur de Glandulis universi corporis Conglobatis, ac putemus Partem itidem Sanguinis Acidorem in ipsis separari, atque Spiritu Animali partim per nervos plures ad ipsas delatos affluente ibidem, partim à Musculis, aliisque Partibus per Vasa Lymphatica refluente in iisdem Vasis temperari ac deliniri.

XLII.

Hanc meam Conjecturam confirmare videtur Liquor in Gravide & Coryza è naribus distillans & salso acidus existens, ob impeditum forsan tunc Spirituum Animalium ad Conglobatas Plexū Choroidis Glandulas affluxum. Glandulas enim Conglobatas tunc affici patet ex similibus tum in Faucibus plerunque, tum circa Collum & alibi nonnunquam simul male affectis.

XLIII.

Ex his, similibusque Conjecturis pluribus suspicatus sum aliquandiu & nunc planè opinor *Præparatum in Glandulis Conglobatis Liquorem, Lymphae nomine jam celebrem, naturaliter esse subacidum*, qualem aliquos se gustu deprehendisse jam narravi suprà.

XLIV.

Subacida verò si Ratione probata, Sensu comprobata sit Sanguini Descendentī conjuncta *Lympha*; *Amara* verò Sanguini Ascendentī permista *Bilis*, annon excitabitur necessariò in Utriusque confluxu & commixtione *Effervescentia*, sed blanda & Naturæ amica?

XLV.

Inquirenda autem hīc, explicandaque accuratiū natura & ratio *Effervescentia ex Spiritū Acidī, Salisque Lixivi Confluxu semper oriundae*. Non desunt enim, qui semel imperitè à se pronuntiata mordicūs ad ravim vociferando tutantur, maluntque offuscari Veritatem, quām inanem suam oblitterari omniscientiæ gloriolam.

XLVI.

Observandum igitur in antecessum 1º. *Spiritu Acidū* arte parari, quoties ex concluso vase Ignis potentis vi propellitur Sal quodvis.

XLVII.

XLVII.

Observandum 2º. Salem Lixivum remanere in Cineribus rerum Ignis potentis ac imprimis patentis vi combustarum.

XLVIII.

Unde patet 1º. Utriusque Materiam esse Subjectum Salinum.

XLIX.

Patet quoque 2º. Utriusque Causam Efficientem esse Ignem, & quidem potentem.

L.

Patet insuper 3º. Modo præsertim agendi, patiendique utrumque differre; cùm ad Spiritum acidum parandum Salinæ substantiæ adjungenda sit Terra Pinguis, quoties illa ipsi deest; ad Salis verò Lixivi eductionem separanda sit per combustionem pars misti Oleosa: unde aperto Igne comburi solent Mista pro Sale Lixivo, & clauso vase distillari Salia in Sp̄eritum Acidum.

L I.

Cùm autem uterque paretur Ignis vehementiâ, Ignem quoque utriusque intimè junctum & unitum copiosum concludimus: quod confirmat utriusque acrimonia Ignea quævis urens & consumens.

L II.

Quotiescumque autem concurrunt bini hi potente Igne, at diversimodè administrato & agente ex consimili materiâ Salinâ parati Sal lixivus & Spiritus Acidus, mirum non est, si communis materiæ suæ nomine commisceantur facile, atque tunc ob mutationem, quam respectu Olei à Lixivo Sale maximam partem separati, Acido verò Spiritui copiosius & intimius adjuncti passi sunt diversam, nova ipsis contingat Alteratio, ob quam Ignis in utroque priùs modo peculiari conclusus, jam suis compedibus magis magisque liberatus omnes mixturæ hujus confusæ partes incipiat commovere, agitare & rarefacere, quin imò aliquâ sui parte avolans Sensu externo se quoque manifestare.

L III.

Hanc partium diversarum à liberato Igne factam ut plurimum cum evidenti calore agitationem & quandoque ebullitionem nonnullis Authoribus Chymicis, quo ab aliis affinibus speciebus distingueretur, Effervescentia nomine indigitare placuit, appellatio ne nec ineptâ, nec sensu observatis incongruente; quam retine-

bimus & nos tantisper, dum magis emphaticam ex Veterum ruderibus substituerint Censores Grammatistæ.

LIV.

Quotiescumque autem in Corde ob Effervescentiam descriptam domicilium hoc suum geminum aliquâ sui parte deserit Ignis, toties proximis se insinuat, & quidem propensiùs ac intimius naturæ suæ magis convenientibus Sanguinis partibus: quapropter, cùm præstò adsit *Sanguinis pars Oleosa*, sive *Butyrosa*, ipsumque adeo Ignem excipere aptissima, quid mirum, si huic se immisceat, ipsum accendat, mox & reliquum Sanguinem simul calcinatum rarefaciat ex Bile ac Lymphâ effervescentibus exurgens Ignis, modo haud multum absimili ei, quo Terebinthinæ Spiritui oleoso & sale volatili pleno affusus Vitrioli Spiritus acidus æstum parit summum? Quod erat probandum.


LV.

Quemadmodum verò, quandiu temperatæ sunt Bilis & Lympha, tandem blanda & corpori utilis excitatur in ipsarum confluxu Effervescentia; sic quoties utraque vel alterutra existit minùs temperata, toties contingit acrior, Naturæ humanæ infesta & modò hanc, modò illam Febris speciem pariens Effervescentia. Sed de his, si Deus volet, agemus in sequentibus.

LVI.

Quamvis ergò, ut tandem aliquando prolixam hanc de Calore Sanguinis in Corde aucto Disquisitionem concludamus, ex hac Bilis & Lymphæ cum Sanguine in dextris Cordis Auriculâ & Ventriculo confluentium Effervescentiâ & accendi & conservari queat Ignis noster Vitalis in Corde; non puto tamen inutiles esse restitantes in eodem Ventriculo Sanguinis reliquias jam priùs accensas, quin potiùs illarum ope adjuvari & promoveri Sanguinis perpetim affluentis Incendum vitale; adeò ut in statu naturali & sano utramque causam memoratam judicem conjungendam, quò peragantur omnia commodiùs & faciliùs. Neque enim frustà voluit Deus semper aliquid Sanguinis remanere in Cordis Ventriculis, sed in certum finem; quem in omnibus rerum quarumvis affectionibus sedulò investigare, atque nonnunquam Ipso benedicente fœliciter cruere concessum est hominibus ratione utentibus.

COROL.



COROLEARIA.

I.

Si, quemadmodum definiunt Philosophi, Ars est Habitus cum rectâ ratione effectivus: in Homine tantum ratione utente Ars reperietur, nec tamen nisi multo rerum Usu comparabitur; inque Operatione ipsâ versabitur. Quapropter, si non semper, ut plurimum saltem, Artifici, ut pro circumstantiarum nonnunquam obscurarum, confusarum vel latentium diversitate Opus suum ritè instituat & faciat, opus erit Conjecturâ; in quâ quoniam hominem quemvis sàpiùs habitare atque aberrare quotidiana testatur Experientia, non dubito asseverare, non dicam Medicinam duntaxat, sed omnem omnino Artem esse Conjecturalem, hoc est, incertam & fallacem, haudquaquam certam, vel Scientiæ appellatione dignam.

II.

Nec est Artium tantum, sed omnium insuper Disciplinarum Practicarum eadem Incertitudinis & Conjecturæ sors. Nam sive Divina, sive Civilia, sive Naturalia quis spectet, nullam homini, quoties circa hæc aut illa pro re natâ personis aut rebus applicanda occupatur, sicque ipsis operatur, concessam esse in Actionibus suis Certitudinem observabit.

III. *Quis-*

III.

Quisquis proinde contrarium verbis quidem, adeoque gratis afferit, nec tamen urgentibus rationibus aut evidentiis exemplis demonstrat, incassum laborat; postquam nemini data est unquam in Philosophiâ & Veritatis investigatione Dictatura; quin unicuique incumbit ex aequo asserti sui probatio; cuius loco qui hujus vel illius Scriptoris egregii auctoritatem, placitumve interponit, reverâ & actu causam suam desperatam esse ostendit & vadimonium deserit.

F I N I S.

